

more per luxuriam & incestuosos Bertradae amores in deterius versi sunt.

4. Porro Claromontanum istud Concilium celebratum fuit anno a Christo 1099, quo Urbanus sacram indixit expeditionem pro Syria de manibus Mahumetanorum recuperanda, quae quidem expeditio sola fere inter tam multas alias felicem nata est exitum, duce strenuo & religiosissimo Gotofrido Bullonio, qui ann. 1099. Jerosolymam expugnavit, omniumque suffragiis Principum, qui comites ei adhaerant, Regnum istud suscepit. De celebri hac Synodo plenior erit nobis tractatio ad Saeculum undecimum.

5. Sequenti Saeculo, Franciae Rex Philippus cognomine Augustus in similem injusti divortii & illegitimi matrimonii scopulum impigit: suam iste uxorem Gerbergam Danorum Regis filiam repudiavit; eaque superstiti, Moraviae Ducis filiam Mariam ementito matrimonii nomine duxit, praeterea aliquam dirimentem cum dimissa affinitatem. Tunc Caesarius Papa III. binos in Galliam Legatos transmisit, qui collecta Divione in Burgundia Synodo, causae sedulo exploratae, Regem admonitum, & admonitionibus immoigerum, & contumacem, Regnumque universum Ecclesiastico interdictione subiiciunt, ann. Domini 1197. Id Rex iniquo admodum animo tulit, sed exactis aliquot in iracundia & murmure mensibus, ad officium tandem rediit, Mariamque ad suos dimisit, & Gerbergam revocavit. Francicae quaedam historiae hoc addunt, hoc stante interdictione, non fuisse pro recepta consuetudine in publicis tabulis scriptum, Regnante Philippo, sed Regnante Christo.

SYNODUS OECUMENICA OCTAVA seu Constantinopolitana quarta, ann. 869.

1. Hujus novae Synodi historiam exactissime describit Nicetas Paphlagonius David hujus aetatis Scriptor in vita S. Ignatii Patriarchae Constantinopolis. Nicephorus Graecorum Imperator filiam suam propriam Michaeli Curopalatae dederat in matrimonium, ex quo natus est Nicetas cum aliis liberis. Post Nicephori excessum, consensu omnium Michaeli desertur Imperium, Principi pietatis simul & justitiae, ceterarumque virtutum ornamentis spectatissimo, qui biennium imperavit, donec Leo Armenus, cui Michael praefecturam exercituum Orientis crederat, in suum Principem & benefactorem perduellis Regnum occupat, Michaellem cum conjugis & liberis in diversas insulas ablegat, & Monasteriis includit, Regios liberos castrari jubet, atque in his Nicetas, cui castrato & in Monachum detonso Ignatii fuit inditum nomen. Leo qua tyrannide perfidiaque Regnum invaserat, eadem administravit; & olim a Synodo septima everfam Iconoclastarum haeresim, magna Ecclesiarum clade piorumque omnium dira infectione relinquit, non minori rabie furens quam Leo ille Iauricus, a quo fuerat primum excitata. Verum exacto Imperii septennio divina ultione interemptus est a Michael Balbo pariter Iconoclasta: quem post annos Imperii octo filius excepit Theophilus paterna impietatis aemulator, qui annos aliquot potitus Imperio transmisit illud ad filium Michaellem sub Theodora matris tutela, religiose virilique animi feminae, quae filium Catholica Religione imbuendum curavit instauratoque sacrarum imaginum cultu Methodium virum sanctissimum, quem in professione orthodoxa constantem & invictum Michael Balbus exilio damnarat, revocavit, atque in regia civitate Patriarcham constituit, qua dignitate praecclare quadriennio perfunctus abiit in caelum.

2. Tum vero ejusdem Theodora studio Ignatius, Michael Curopalatae natus, in eandem promotus est sedem. Hoc Praefule, Ecclesia Orientalis fidei sinceritate & morum commendatione refulit, tranquillaque pace integros undecim annos potita est. Sed tam felicem rerum statum Caesaris Bardae ipsius Theodora fratris ambitio turbavit. Hic Imperatori persuasit, ut matrem rerum gubernaculo ablegaret, Monasterioque includeret: atque ex Michaelis vecordia fiduciam fumens omnem Imperii potestatem in se unum transtulit. Erat praeterea Bardas infensissimus in Ignatium animo, qui pastoralis officii & constantiae specimen dederat, quando post saepius admonitum frustra Bardam, ut stupri consuetudine, quam cum propria nuru, gravi omnium scandalo & offensione, habebat, desisteret; ad sacram Eucharistiae synaxim solemnem Epiphaniarum die accedere ausum, pa-

lam repulit, & poenitentiam est exhortatus: His accesserat, ut cum suava Bardae Michael accito Ignatio mandasset, ut Theodoram invitam attonderet, Monasterioque includeret, id praestare ut rem indignam & Ecclesiae legibus adversantem recusaverit: quocirca Bardas Ignatium apud Imperatorem Majestatis reum postulavit, simulque in Insulam deportari fecit, Photium Eunuchum in ejus sedem intravit.

3. Erat Photius vir laicus natalibus illustris, dignitate Protospatharius, primusque a secretis, homo ambitionis immensa, veterator, ingenio ad universa versatili, tantaque humanarum disciplinarum peritia, ut vel ipso Niceta Davide teste, non modo sui aevi Princeps haberetur, sed etiam cum praestantissimis veterum quorumcunque ingenii decertare posset. At eximia natura & artis dotes animi ejus improbitas & incredibilis ambitio perfidiaque obscurabant. Vix credat aliquis, quam implacabili crudelitate, quam impudentibus calumniis, & quam immanibus corporis cruciamentis, imperatorii sanguinis Patriarcham eximia vitae sanctitate venerandum, aetate etiam provectum diveixerit sceleratissimum Photius, quando Bardas superstes fuit.

4. Ad postremum interimitur a Basilio Macedone Protospatore jussu ipsius Michaelis Imperatoris Bardas: occisor vero in Imperii societatem asciscitur: nec multo post Michael ipse vino tumulentus trucidatur. Cum enim illum novus Imperator Basilius ab infamia morum ad meliorem reducere frugem fuderet, ejus tantum in se odium concitavit, ut remigi quoque obtulerit Imperium, si Basilius interimeret, sed Michaellem temulentum Basilius anteverit, & occidit.

5. Solus itaque Imperio potitus Basilius, qui cum effecti justitiae & Religionis amantissimus, publicam rem Michaelis vecordia nequitiaeque perditam reparavit. In primis Ignatium dejecto Photio revocavit. Eaque de causa Synodum oecumenicam octavam Constantinopoli coegit, assentiente Hadriano Papa secundo Nicolai primi successore, qui etiam per Legatos suos Stephanum & Donatum Episcopos, & Marinum Diaconum, sanctae Synodo praesedit, ann. Chr. 869. Jam Photium Basilius de throno in Monasterium depulerat, etiamque Regiae classis Drungarium cum dromone, id est celoce Imperiali pretiosis ornamentis instructo, cum magnifico splendidoque comitatu praemisit, ad reducendum ea qua par erat honoris pompa Ignatium. Reducem ab exilio Patriarcham Ordo Patricius occurrentes exceperat, & frequens latitiaeque gestiens populus veneratus, atque in templum triumphali apparatu & faustis acclamationibus prosequutus fuerat, antequam Synodus indicta esset.

6. Synodo interfuerunt, ut scribit Nicetas, Episcopi duo supra centum. Antistes vero & Sacerdotes, qui a sanctissimis Patriarchis Methodio & Ignatio consecrati fuerant, & postmodum ad Photii communionem abrepti, libellis poenitentiae porrectis ad Synodi pedes procubere, lacrymis effusus veniam supplicantes. Mitius cum his actum est, impositaque brevi poenitentia, ad confessum tandem Synodi & pristinae dignitatem admitti sunt. Photius citatus reus ad Synodi conspectum adducitur, de propriis sceleribus interrogatus, adduci non potuit ut aliud responderet quam istud Davidicum: *Posui ori meo custodiam; & quod sequitur, ipse legitote; hac nimirum intelligi volens: Cum confister peccator adversum me. Instant Legati, hoc oblitato silentio non evasurum damnationis iudicium; quibus ille: Neque Jesus tacendo evasit damnationem. Blande rogatur ut se justificet de sibi objectis accusationibus: Respondit hypocrita: Justificationes meae non sunt de hoc mundo. Suadet ut poenitentiam exhibeat, qua solvatur anathemate: Ille pertinaciter silet, seque e conspectu subducit.*

7. Nicolaus Papa I. Photium jam olim in Romano Concilio damnaverat anathemate, ut violentum Ecclesiae Constantinopolitanae invasorem. Photius vero coacto Conciliabulo in ipsum Nicolaum anathema regerere ausus fuerat. Quinetiam non dubitavit Pseudo-synodi suae acta multis suppositis falsis & calumniosis additamentis, ementisque veteratoris Episcoporum subscriptionibus transmittere ad Ludovicum pronepotem Caroli Magni, Lotharii filium, & quantum a Magno illo Carolo Imperatore Occidentis, una cum litteris & manusculis ad uxorem ejus Ingelbergam, eam sollicitantibus, ut conjugi Ludovico suaderet a Nicolao Episcopo Romae discessionem, utpote canonice auctoritate Concilii oecumenici depositum, eumque procul in exilium relegaret, quae tamen scripta fuerunt intercepta, & in hanc Synodum octavam & legitimam ab Imperatore Basilio producta. Porro hujusce Ludovici Legati, quemadmodum & Michaelis Bulgarorum Principis actioni decima ac ultimae Synodi hujus interfuisse memorantur: aliis vero actionibus nulla horum mentio legitur.

8. Neque vero a solo Nicolao, sed praeterea ab Hadriano Papa II. in alia Synodo, in qua eadem iterum ventilata causi fuit, anathema Photio irrogatum fuit. Tertiumque demum anathematis telum in eundem contortit haec octava Synodus. Rem miram perhibet in Ignatii vita Nicetas, damnationi Photii subscriptum ab oecumenica istius Synodi Patribus calamis non solum atramento, sed etiam tremendo Christi sanguine delibuit in atramentum infuso. Simili subscriptione permixti atramento ex sacro Calice Divini Sanguinis a Theodoro Papa signatum fuisse Pyrrhi Monothelicae lapsi damnationem, fidem facit Theophanes. Octava haec Synodus aliquot edidit canones, qui recensentur in Graecis exemplaribus numero quatuordecim: at vero in Latina editione Anastasii septem & viginti.

9. Can. 1. Edicere servandas atque tenendas esse Apostolicas traditiones non scriptas, perinde ac Divinas Scripturas: & ad hoc firmandum profert istud Pauli ad Thesal. State & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Traditionibus hujusmodi parem cum Divinis Scripturis adhibendam esse fidem scribunt quoque prisci Ecclesiae Doctores ac Patres: Basilius ad Amphilochem de Spiritu sancto c. 29. Epiphanius haer. 61. Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Thesal. ut in Graeca Synodo Latinos Patres sileam.

10. Can. 2. Novae pondus auctoritatis adjicitur ad Synodicas Nicolai & Hadriani Pontificum definitiones, pro Ignatio contra Photium.

Can. III. Sacram imaginem Domini nostri Jesu Christi, & omnium liberatoris & Salvatoris aequo honore cum libro sanctorum Evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quae in libro feruntur, salutem consequimur omnes; ita per colorum imaginum operationem & sapientes & idiotae cuncti ex eo, quod in promptu est, percipiunt utilitate: quae enim in syllabis sermo, haec & pictura quae in coloribus est, praedicat & commendat: & dignum est, ut secundum congruentiam rationis, & antiquissimam traditionem, propter honorem, quia ad principalia ipsa referuntur, etiam derivative icones honorentur & adorentur aequo ut sanctorum sacer Evangeliorum liber, atque typus pretiosa Crucis: si quis ergo non adorat iconem Salvatoris Christi, non videat formam ejus, quando venit in gloria aeterna glorificari, & glorificare sanctos suos, sed alienus sit a communione ipsius & claritate. Similiter autem & imaginem intemeratae Matris ejus & Genitricis DEI Mariae: insuper & icones sanctorum Angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis Divina Scriptura: sed & laudabilissimum Apostolorum, & Prophetarum, & Martyrum & sanctorum simul omnium & honoramus & adoramus. Et qui sic se non habent, anathema sint a Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Canon iste in Graeco concilio est.

Can. IV. Ut ambitionem veluti quamdam malorum omnium radicem corvellamus, Photium contra jus saepe praecipiti temeritate velut atrocem lupum in gregem Christi insipientem, Orbemque terrarum perturbationibus complementem, nunquam antea Episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse, jussu decreto declaramus: *Ἐκείνῳ λόγῳ ἐπιφανέσθῃ ὑπὸ πτοτῶν γρηγορείῳ ἢ ὑπὸ ἄλλου ἐπίσκοπου. nec ab illo creatos in Sacerdotii gradus, in quem ab eo promoti sunt, manere. Praefectis quoque Monasteriorum ab eo provectis praefecturam abrogamus. Dicit enim universonum Deus: Quoniam tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

His addit Anastasianus Canon: *Sed & Ecclesias, quas, ut putatur, tam Photius, quam ii, qui ab ipso consecrati sunt, dedicaverunt, vel si commotas mentis (id est Altaria) stabilierunt, rursus dedicari & intronizari & stabiliri decernimus.*

11. Can. 5. decernit juxta Apostolum 2. Timoth. 3. & antiquos canones, non esse ullatenus neophytos ad Episcopatum assumendos: nec tantum neophytos in fide, sed etiam in Clericorum Ordine. Arcet quoque illos, qui ab Imperatoria potestate intraduntur. *Ἐπι δὲ πλεον τῶν ἀπείργον, εἰ παρὰ βασιλεῖς ἐξῆλθῃ εἰς τὸ συνάθῃαι.* Quorum utrumque in Photio contigerat. Praescribit quoque, ut Lector saltem annum in eo exerceat officio, priusquam Subdiaconus ordinetur: & hic biennium expectet, antequam ad Diaconatum ascendat: Diaconus porro in Ordine triennium compleat, antequam Sacerdos consecratur. Et ut nullus in Episcopatum assumatur, nisi post exactum in Sacerdotio quadriennium. Permittit tamen, ut possint Episcopi ex justa causa in his interstitiis dispensare. Concilium denique Tridentinum sess. 23. cap. 11. constituit annum interstitii ac ministerii a susceptione ultimi ex minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, & ex hoc alterum annum ad Diaconatum, alterum item ad Sacerdotium, nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas iudicio Episcopi aliud ex-

poscat. Id enim intelligendum est per haec verba: *Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur.* Ubi minores Ordines non absolute, sed respectu habito ad superiores significantur. Districte autem prohibet cap. 13. duos eodem die sacros Ordines cuicumque conferri, sed ibidem a Subdiaconatu ad Diaconatum annum interstitii praefigit. Deinde cap. 14. alterum annum a Diaconatu ad Sacerdotalem ordinationem. Ita definit Concilium Tridentinum.

12. Can. X. *Cum veteris novaeque lex Testamenti doceat, unicam Domini, eamque ratione & intelligentia pollentem esse animam: eandemque sententiam Dei locorum omnium Patrum & Doctorum Ecclesiae doctrina confirmat; sunt tamen qui duas homini esse animas asserant, & quibusdam viriosis ratiocinationibus suam haeresim stabiliant. Itaque sancta haec & oecumenica Synodus hujus impietatis conditores cum tota secta sua magna voce anathematizat. Qui vero posthac contraria dicere ausus fuerit, anathema esto.*

Hec fuit veterum quorundam Philosophorum, necnon Manichaeorum haeresis, praeter animam rationalem, existere quoque in nobis animam distinctam sensitivam, ex qua pronant omnes concupiscendi actus, eamque Manichaei asseverabant propria natura malam esse, a malo principio exortam. Adversus errorem istum disputat Augustinus tum alibi, tum in libro de duabus animabus contra Manichaeos. Praecclare docet Aristoteles lib. 1. de Anima, text. 66. & 91. unam duntaxat esse in homine animam, eamque rationalem, quae tamen fit eminenter ac virtute sensitiva vegetans. Suffragatur his ratio physica. Alioqui enim non esset homo unum aliquid ens per se, sed multa entia aggregata, quemadmodum plures simul homines dicuntur unus populus, pluresque arbores una sylva, & complures lapides unus acervus. Forma namque ipsa est, quae determinat esse cujusque rei; sicque multiplices animae ac formae plura entia constituunt. Ratio etiam Theologica suffragatur: cum enim omnia in Christo fuerint, quae ad humanae substantiae integritatem pertinent, si ad eam distinctae formae vegetans & sensitiva pertinerent, Verbum incarnatum simul esset homo, brutum, & planta. Deinde in triduo mortis, vel duae ultimae animae disperissent: at quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit; vel mansissent seorsim a corpore, atque ita duae materiales formae contra physicam rationem fuissent per se subsistentes ab omni materia remotae. Deinde quorsum abiissent? An ex honoris atque observantiae officio animae rationali se pedisequas adjunxissent; an vero procul ab illa divagatae fuissent? Neque vero a seipso Aristoteles distidet, dum lib. 2. de generat. animal. cap. 3. affirmat, embryonem hominis prius vivere vita plantae, deinde vita bruti, & ad ultimum vita hominis: S. quippe Thomas in Sum. p. 1. qu. 118. art. 2. mentem hanc docet esse Aristotelis, formas illas in embryone nunquam simul, sed successive inesse, atque abscedente vegetativa succedere sensitivam, & hac desinente infundit a Deo rationalem, quae simul non quidem formaliter, sed virtute seu eminenter fit vegetans & sensitiva; a nonnullis tamen respicitur illa animae sensitivae praecellio in illo imperfecto humano factu: volunt enim primum quidem animari factum forma vegetativa, cui proxime ac immediate succedat divinitus creata forma, seu anima rationalis, quae tamen operetur primum secundum facultatem vegetativam, ac sensitivam, non vero secundum rationalem gradum, nisi post unum aut alterum a nativitate annum.

13. In eodem pariter versabatur errore Apollinaris Laodicenus Episcopus, qui tres in singulis hominibus animas constituebat, eoque facto veluti fundamento asserbat binas in Christo animas, vegetantem & sensitivam, rationalem vero ab eo removebat. Asserebat enim, Verbum in assumpta humanitate animam praevensisse rationalem, illiusque vicem ac locum occupasse. Qua ex assertionem sequebatur absurditas duplex; in primis assumptum esse ab aeterno Verbo non hominem, sed brutum, ac animal rationis expers: praeterea solam animam sensitivam contulisse in Christo ad hominis redemptionem, qui tamen non nisi per libertatem sive propriam, sive primi omnium patris Adami deliquerat. Est autem libertas, animae rationalis propria. Haec Apollinaritarum haeresis damnata primum fuit ann. 362. in Concilio Alexandrino praeside magno Athanasio, postquam Juliani Caesaris edicto exules Episcopi ab Arianis sub Constantio pulsi postliminio revocati fuere. Et rursus ab oecumenica secunda Synodo sub Damaso Papa Constantinopoli celebrata, can. 1.

Can. II. *Qui a divina gratia ad munus Episcopi evocantur,*